Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2475
Quelle:
Copyright:

ctum putem. Vide, quae de ejusmodi commentis ad *Codd.* DCLXXIII. aliosque dicta sunt.

XII. *fol.* 151. p. 2. *Liber beati Augustini de contemptu mundi Incipit feliciter.* Ita: *Audite fratres charissimi salutiferam nostri patris doctrinam* &c. Spurius, ut alias.

XIII. *fol.* 154. p. 2. *Epistola beati Iheronimi presbiteri ad paulinum presbiterum feliciter incipit.* Initium: *Obsecro te pauline carissime vt multitudines hominum et salutaciones* &c. Cento contextus ex *Epistola* potissimum LVIII. T. I. *Opp.* edit. *Vallars. col.* 316.

XIV. *fol.* 155. p. 2. *Tractatus eximij doctoris Bonauenture ordinis minorum de corpore christi et de preparatione ad eius deuotam susceptionem ritamque celebracionem misterii misse Incipit feliciter.* Initium: *Ad honorum gloriose ac indiuidue trinitatis ad honorem excellentissimi sacramenti* &c. Extat T. VII. Opp. omn. *Lugd.* 1668. p. 67. in Capita XIV. tributus, non fine quadam Lectionis diversitate. Ad *Cod.* calcem: *Explicit — Anno incarnationis domini* M. CCCC. XCIX.

XIV. *fol.* 163. praevio *Capp.* XVI. Elencho *Manuale*, ut in calce, *parochialium sacerdotum.* Initium: *Quoniam ex quorundam simplicium ignorantia sacerdotum* &c. Sub finem: *Actum Anno Domini* M. CC. LV. Atque his iisdem verbis terminatur Editio s. l. et a. 4. quae mihi adjacet. Plures aliae Sec. XV. indicantur in *Suppl.* meo *Maitair.* Diversum ab hoc Tractatu est *Mich. Lochmayr Parochiale Curatorum.*

DCXLVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. 510
Folior. 158. 4. non una manu, commode tamen perscriptus his constat Opusculis: I. ut in Elencho praevio, *Consolatoria epistola ad quendam recenter reformatum.* Initium: *Jhesum christum filium dei in bethleem iude natum à tribus magis humiliter adoratum et muneribus deuote honoratum iugiter pro salute. Pater in domino karissime in salutacione iam premissa munusculum quoddam vobis destinaui quo in celo et in terra dulcius et preciosius nichil inuenitur, ipsum scilicet summi regis filium* &c. — *qui monasteria ordinis vestri plurima secundum seculi huius vanitatem solempniora fortassis et diciora pretergradiendo ad vos tanquam in bethlehem locum humilem pie declinavit.* — *Occurrunt mihi aliqua huic reformacioni apud vos salubriter incepte satis conueniencia.* Atque hic narrat infelices casus quorundam *in abbacia quadam Canonicorum regularium beati Augustini admodum legali sed non adeo spirituali in quodam Archiepiscopatu haut longe constituta.* Archiepiscopatum hunc *Salisburgensem* esse, *Epistolamque* nostram ad Reformationis Monasticae *Alberto* V. Duce *Austriae* urgente anno 1418. per Monachos *Sublacenses* susceptae negotium pertinere, nullus ambigo; cumque consilii hujus *Alberto* autor fuerit *Nicolaus de Dinckelspühl Vien.* Theologus, ut ejus *Auizamenta* apud *Anselm. Schramb* in *Chron. Mellic.* p. 309. et *Mart. Kropf* in *Bibl.* *Mel-*